

Caput V.

DE VASIS EUCHARISTICIS.

454. — I. CALIX¹.

Miss. Rit. celebrandi, I, 1: « Calix debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam et simul cum patena itidem inaurata, ad episcopum consecratus. »

De defectibus X, 1: « Si non adsit calix cum patena conveniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non aerea vel vitrea ».

Calices quibus usi sunt ipsemet Christus² et primi sacerdotes, maxime in aedibus privatis sacrificantes³, sane erant scyphi usuales. Hi autem erant valde diversi: ansis et pede muniti vel destituti, et confecti ex metallo aut lapide pretioso, variis ex ligno vel cornu, potissimum ex vitro aut cristallo. Eadem varietas in calicibus sacrificii diu perstitit etiam post persecutiones.

Materia a s. IV communior videtur fuisse metallum, saepe pretiosum, argenteum nempe, imo et aurum, ut testantur scriptores et dona a Pontificibus oblata ecclesiis romanis⁴. A s. IX habemus multa episcoporum et synodorum statuta, quae summam reducunt ad ordinationem insertam in decreto Gratiani, quo: « calix cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat⁵; ob paupertatem permittitur stannum⁶; non vero cuprum aut aurichalcum, ne oriatur aerugine; non lignum, quia porosum; nec vitrum, quia fragile⁷. »

(454) ¹ J. BRAUN S. J. *Das christl. Altgeräth*, München, 1932, p. 17-196 (historiae incipitissimum); ROHault DE FLEURY, *La messe*, t. V, 45-153; DAL, *V. Calice*; *The cath. Encyclopedia*, *V. calice* (H. THURSTON; optimum summarium); CB, XXIV, 420-423 (material); 469-472 (forma); XXVIII, 147-151.

² Variis tamen in ecclesiis putabatur se servare calicem Ultimae coenae v. g. Genesae, Valentiae.

³ Nuper magna publicationis fama celebratus est calix dictus « Antiochenus », quasi esset — quod multum abest — ex sacculo primo.

⁴ OPTATUS MILEVITANUS, *Contra Parmenianum*, VI, 2 et 5; S. AUGUST. *Enarr. II in ps.* 113, 9; *Ep.* 10, 6; *Contra Crescencium Donat.*, III, 23, 33; S. ANTONIO; *De officio*, II, 28; S. CHRYSOST., *Hom. 59 in Math.*, 3; *Liber Pontificalis*, passim; GREGORIUS TURON., *Hist. Francor.*, III, 10; VII, 24.

⁵ Stannae saepe erant calices in sepulchro sacerdotum depositi. Stannae etiam non rari erant tempore paupertatis et persecutionis post ecclesiarum directionem, v. g. adhuc tempore revolutionis gallicanae.

⁶ Decr. Gratiani, C. XLV, dist. 1, De Consecratione. Cf. Olosam.

Ex his orta est disciplina hodierna in Missali ut supra ordinata, juxta quam censent auctores communius et merito etiam cuppam stanneam debere esse « intus inauratam ». S. R. C. « non admisit calices ex aere vel aurichalco » cum cuppa tamen ejusdem materiei aurata » (D. 3136, IV), vel « ex alluminio sive puro sive aliis metallis commixto » ut est aes alluminii (bronze d'aluminium)⁸. Nota praecipuum cadere tantum in cuppam et patenam. Pes et scapus confici possunt ex cupro aut qualibet materia solida, munda et decenti, ita ut non sit damandus nodus v. g. eburneus. Sed praestabit sane calicem minus artificiose ornare ut et pes possit esse argenteus.

455. — Forma calicis non determinatur rubricis, quae tamen passim commemorant et supponunt *cuppam, pedem et nodum* a pede et cuppa aliquatenus distantem.

Primitivi calices non raro erant ansati, rarius sine pede. Brevi tamen inducta est forma traditionalis quae lente evoluit est. Antiquiores inserviebant S. Communioni sub specie vini dispensandae; unde cuppa erat conica, ampla et profunda, pes nec largus nec altus immediate cuppae conjungi solebat aliqua specie nodi (s. VII-IX). — Tempore styli « romanici », calix est altitudine depressus; cuppa larga fit minus profunda; pes latior et semper rotundus conjungitur cuppae ope scapi in quo distinctus formatur nodus: praevalent lineae et massae horizontales cuppae, nodi, pedis (usque ad s. XIII). — « Gothicus » calix tendit in altum: cuppa minus lata fit profundior, scapus longior in quo nodus magis ornatur, pes altior est, vel rotundus, vel hexagonalis aut octogonalis. Ornatus est architectonicus et in fine medii aevi saepe exaggeratus et importunus. — Postea cuppa fit adhuc angustior saepe in formam tulipae; scapus longior evadit et non raro pluribus quasi nodis ornatur; pes formis et figuris operatur diversis plasticis aut pictis: ita excrescit calicis altitudo usque ad 25-30 cm. Post s. XVIII ornatus ad majorem simplicitatem reducitur (style empire). Hodie rediit ad parvam altitudinem antiquam, quaeritur forma quae magis ad « romanicam » accedit, sed intenditur simplicitas et puritas linearam.

Regulam directivam in conficiendis calicibus tradit S. R. C. decreto 4371¹.

« Ordinarius loci curet ne calices a formis traditionalibus differant ob periculum effundendi sacras species et excitandi admirationem ».

456. — Ex praefatis deduci possunt quaedam regulae directivae practicae.

Cuppa semper est pars essentialis, id propter quod cetera omnia. Debet etiam talis apparere. Sit ergo sat magna et pes ac scapus ita construantur

¹ Indulget sunt quaedam concessionem particularibus quibus admittitur sub certa conditionibus et cautelis, aes album, vulgo cuivre blanc (Collectanea Constitut. S. Sedis ad usum Societ. Mixtion., Paris, n. 428, 6 jan. 1847) vel « bronze d'aluminium », 6 dec. 1866 (*Eph. Lit.*, I, 632 ss).

(455) ² Cujus commentarium vide CB, XXII, 432-434.